

1525 rum, forti animo repulerit; suadere, ne aliquid de societate pro præsenti Italiæ statu retinendo statuatur, priusquam Cæsaris voluntas, ac mandata ex Hispaniis perferantur.

*Fœdus in-
ter Clemen-
tem & Cæ-
sarem.*

Verum Pontifex, quem præsentia potius, quam futura urgebant, consilium amplexus, quo se, resque suas in tuto collocaret, & Cæsareanorum stimulis, & suorum adhortationibus impulsus, non expectata Cæsaris sententia, kal. aprilis cum Prorege fœdus iis conditionibus sanxit. *Primum, ut communibus armis, atque auctoritate Franciscus Sfortia Cæsaris auspiciis in Insubrum possessione retineatur. Deinde, ut Cæsar Pontificiæ ditionis imperium adversus hostium injurias tueatur. Tum, ut in suam clientelam Florentinorum Rempublicam recipiat; Mediceæ familiæ dignitatem, atque amplitudinem nulla unquam de causa imminui in patria permittat: qui intra Ecclesiæ fines detinentur milites, statim amoveantur: centum aureorum millia Florentini Cæsaris Ducibus pendant. Quadrimestre spatium, ut hæc Caroli decreto firmentur, præfinitur. Venetæ Reipublicæ, ceterisque Italiæ principibus viginti dies assignantur, ut æquis, honestisque conditionibus, si ita libuerit, in fœderis societatem coire possint. Atque his diebus Albanix Dux classe regia cum Rentio Cerite ad Centumcellas exceptus, majori parte suorum amissa, in Gallias reversus est. Patres, cum Pontificem Cæsari accessisse, minorisque auctoritatis principes eadem veluti tempestate jactatos, in eundem portum delatos animadverterent; multa secum animo vovere, maximis curis agitari; Galliæ viribus consopitis, ac labefactatis, nulli rei, nisi Regis libertati aspirantibus; Pontifice adversus omnium opinionem in Cæsaris partes protracto, quot superesse, qui illius potentix, aut adversari, aut reluctari queant? Uni Senatui, & Reipublicæ libertatis, incolumitatique Italiæ onus incumbere.*

*Gaspar
Sormanus
& Francisci
Regis ma-
jore Vene-
tiæ missus.*

Miserat fane per eos dies Ludovica Francisci mater, cui ob Regis captivitatem totius regni administratio obtigerat, Venetias Gasparem Sormanum cum literis, quibus Senatui significabat, omnia in Galliis tuta esse, neque ex adverso prælio, Regisque captivitate quidquam, quod vires amplissimi regni imminuere, potentiam, ac majestatem possit, pertimescere: rogare, ut quæ semper fuit erga Venetam Rempublicam Re-

gis